





7744

No: 778.

1761, 8.

DE

A E Q V I T A T I S
IN IVRE VSV

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

P R A E S I D E

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.
LIPSIENS. ADV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XX. IVNII A. C. MDCCLXI.

DISPV TABIT

FRIDERICVS ERNESTVS GOTTLOB IAENICKE

GRIMMA MISN.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEIMIA.



D E

A E Q V I T A T I S

I N I V R E V S V

M V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S

C O N S E N S V

P R A E S I D E

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

V A R R E M C V R P R O V I N C I A L E T C O N S I S T.

A S S E S S A D V

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

D. K. HENR. C. MDCCLXXII

D I S T R A B I T

F R I D R I C H S E R S T V S C O T T O S I A E N I C H S

O R D I N A M I S T R

L I S T A E

E X O F F I C I N O C A N C E R R I A R I A E



DE

VSV AEQVITATIS IN IVRE.

§. I.



Diximus nuper, cum de aequitate ageretur discere-
ptatio, eam esse virtutem, tribuentem aliis, quae Renocatur
aequitatis
notio.
sibi tribui velit, vel potius, quae cognouerit si-
bi ab aliis deberi, certe, ex interna quadam obligati neces-
sitate, etsi exactionem lex et ratio denegauerit. Ex quo
patet, nullam sine animi constantia fingi aequitatem posse,
in eoque illam versari vnice, vt ipsam rem praesentem co-
gnoscat, quidque de ea habendum sit iudicet, nulla fauoris,
amicitiae, sanguinis, inuidiae, inimicitiaeque ex parte eius, qui
praeclarum turpeue facinus commiserit, habita ratione.
Haec mihi propria aequitatis notio ipsique ethimologiae in-
primis videtur consentanea.

§. II.

Neque existimo, aequitatem id pati, vt, habita reipu-
blica ratione, cum altero mitius agat, alterumque grauiori Propria
aequitatis
exponun-
tur.
supplicio subiiciat, quod bonitati et prudentiae tribuen-
dum erit, vt potius ipsi rei subiectae inhaereat, id est, actio-

nes hominum examinet, et, quo animo perpetratae fuerint, consideret. Neque vero sibi quis persuadeat, hanc esse meam sententiam, vt putem, ad conditionem personarum, in constituendo actionibus vel praemio, vel poena, non esse respiciendum, vt potius aequo aestimatori id inprimis et studiose agendum sit, quum, hoc neglecto, durior omnino, peiorque grauium virorum, quam leuium, pauperum, quam ditiorum, conditio exitura, non sine aequitatis, esset, offensione.

§. III.

Aequitas non patitur certis praecceptis adstringi.

Ex quo patet, omnino liberum esse debere aequitati arbitrium, nullisque, omni tempore et occasione admittendis, esse definiendam praecceptis. Quod verum agnoscit FABER in *Ipr. Papin. p. 5.* dum dicit: de iis, quae in sola aequitate consistant, in perpetuum, vel generaliter, definiri nihil posse, quae est sententia SCAEVOLAE omnino vera, in *l. 14. D. d. diu. temp. praescr.* obuia, rationemque huius rei, ex rescripto DIVI PII a MARCIANO in *l. 32. pr. D. d. Usur. et fruct.* nobis exhibito, hanc reddit FABER, quod in facto magis, quam in iure, consistat, siue, quod in factis diiudicandis verferet, de quibus propter varietatem nihil certi definiri possit.

§. IIII.

Quod confirmatur l. 14 §. 6. D. VLPPIANVS d. religios. cuius sen-

Quod, prout solet, satis prolixè copioseque illustrat VLPPIANVS in *l. 14. §. 6. D. d. religios. et sumtib. funer.* agit quippe de funeraria actione, quam Praetor ad recipiendam

dam impensam funeris causa factam suppeditat, pluribus-^{rentia ex-}
 que, quae circa hanc actionem obseruanda sunt, notatis, ad-^{ponitur.}
 dit, ex aequo et bono hanc actionem oriri, aequum vero,
 hoc intuitu, aestimari ex dignitate eius, qui funeratus sit,
 ex causa, ex tempore, et ex bona fide. Quae generalia prae-
 cepta deinde magis illustrat. Scilicet §. 10. cit. l. dicit, in-
 terdem iudicis de ea aequitate cognoscentis esse, sumptum
 modicum factum omnino non admittere, si forte modicus
 in contumeliam defuncti hominis locupletis factus sit. In-
 terdem (quod ad causam pertinet) sumptus non recipi,
 quod pietatis gratia, non eo animo, ut reciperentur, facti
 fuerint. Quod de tempore dicit, sic forte accipiendum
 est, in funebribus impensis faciendis, in quo statu respu-
 blica constituta sit, an beneuola et faultrice republica mortis
 tempore defunctus fuerit vsus, et quae alia id genus hoc intuitu
 cogitari possunt, eius quoque rei habendam esse rationem.
 Nec, quid sibi cum bona fide velit, VLP IANVS decla-
 rat. Qua de re sic statuo. Nouimus, in eo potissimum
 versari bonam fidem, ut, quod promissum est, seruet,
 adeo que sine dubio Ictus eo respicit, quod ipse in l. 12. §. 4.
 eod. dicit, quippe ad eum potissimum sumtus funebres per-
 tinere, quem decedens elegerit, huic igitur inprimis incum-
 bere, ut ex promissione defuncto facta eas faciat.

§. V.

Ex quibus omnibus videor mihi recte colligere, quia ^{Monstra-}
 non ita scribi possunt leges, ut omnes casus, qui quandoque ^{tur, quando}
 A 3 ^{aequitas in}
 incide- ^{iure inter-}

*pretando
sibi locum
vindict.*

inciderint, comprehendantur l. 10. D. d. LL. etc. hoc esse officium Iudicis et ICTi, vt primo in sententiam et rationem legis curiosissime inquirat, atque, si viderit generalem esse eius dispositionem, neque adeo arbitrium ipsius excludere, ita eam exponat, admoueatque factis obuientibus, vt in quemcunque aequae dure et aequae benigne scripta esse appareat. Quod qui facit, absque dubio aequi Iudicis et aestimatoris laude nemini non videbitur prosequendus, quam tamen vt mereatur, aequae diligenter in personarum conditionem earumque et factorum qualitatem inquirere oportet, quo examine neglecto aequae minus, ac sine perfecto legis intellectu, fingi potest aequum ICTi iudicium, si quidem verissimum est, quod vulgo circumfertur, minimam circumstantiam variare totam rem. Nec sane ad aequitatem obtinendam minus conducit, personarum qualitatem inuestigare. Qualitatem puto externam pariter atque internam, id est, fortunam, honestatem, grauitatemque,

§. VI.

*Laudatur
aequitas
Mand. El.
Sax. d. d. 7.
Sept. a.
1698.*

Ad quod illustrandum apprime facit Mand. El. Sax. d. d. 7. Sept. a. 1698. aequissimum et sapientissimum, idemque nostris laudibus longe superius, quod iudici relinquit, leuius peccantem in carcerem coniecere, an ad multam praestandam operasue adigere malit, poenae modo in quemcunque euentum a ICTis, ad id, vt de iure respondeant, constitutis, definito. Viturque hac sapientissima Llator Potentissimus ratione, quod Iudex, cui inprimis nota esse debeat

debeat conditio delinquentis, prospicere possit, vt condigna delicto poena constet.

§. VII.

Igitur aequitatis virtus in iure ad duo capita, quantum intelligo, reduci debet, quorum alterum ad ius constituendum, alterum ad constitutum, alterumque adeo ad ^{Probatur virtus aequitatis in iure.} llatorem, alterum ad Ictum pertinet. Illud postulare videtur, vt caucat Princeps, quominus nimis generaliter ius constituat, verum potius idoneas, a rerum personarumque diuersitate petitas, subsistuat limitationes, etsi haec etiam generales esse debeant, ne in nimiam nec ferendam homini capiendamque molem iura crescant. Hoc, vt ii, quorum est, ius constitutum interpretari, quantum a Principe arbitrio ipsorum relictum est, sic arbitrentur, quominus, fauore vel inuidia personae, fecisse quid videantur. Id vero minime ferendum puto, quod putat FABER *cit. loc.* aequitatem in genere nullam esse, sed, pro personarum, rerum, locorum et temporum differentiis, variari, siquidem constans esse debet et semper eadem aequitas, etsi definiri in genere nequit, quid in hac vel illa re, vt aequitati obtemperemus, faciendum sit. Scilicet hoc verum est, pro personarum, rerum, locorum et temporum differentiis alia atque alia aequitatem suadere, sed haec alia semper eadem suadet aequitas. Cum igitur ex his pateat, quae incertam recipiant explicationem in iure nostro, magistra, aequitate, esse

VIII DE AEQVITATIS IN IVRE VSV.

esse interpretanda, recte mihi colligere videor, VLPIANVM in *l. i. d. Iust.* et *I.* iurisprudentiam aequi et boni artem non eó animo dixisse, vt propugnaret, ipsam aequitatem bonitatemque ius constituere, verum potius, vt innueret pariter, eo semper animo iura constituti debere, vt ne ab aequitate et bonitate aberrerent, pariterque, ius constitutum, quantum eius fieri possit, cum aequitate et bonitate esse conciliandum, id est, aequè et benigne, quia in dubio benigniora, secundum iuris regulam, praeferenda sint, esse interpretandum.



ULB Halle
007 114 605


3



NO 18







2744

No: 778.
1761, 8.

DE
A E Q V I T A T I S
I N I V R E V S V

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

P R A E S I D E

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

SVPREM. CVR. PROVINCIAL. ET CONSIST.
LIPSIENS. ADV.

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

D. XX. IVNII A. C. MDCCLXI.

D I S P V T A B I T

FRIDERICVS ERNESTVS GOTTLOB IAENICKE

GRIMMA MISN.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEIMIA.